



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati  
Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Almae Matri Avdomarensi Anglorvm Academiae. Ode I. Se puerum in eius  
gremio ad humanitatem excultum gloriam nominis immortalem attigisse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

IAC. ALB. GHIBBESII  
POET. LAVR. CAES.

# EPODON LIBER.

ALMAE MATRI  
AVDOMARENSI ANGLORVM ACADEMIAE.

## ODE I.

*Se puerum in eius gremio ad humanitatem exultum  
gloriam nominis immortalem attigisse .*

 AVDET Philippo natus alterum patrem ,  
Regemquē postponat sopho ;  
Tu dum secunda veneris mater mihi ,  
Non ille riualem tremet .

Te, Virgo, docta Belgicæ Pallas plagæ ,  
Agnosco nutricem libens .  
Iacto parentis filius Quiritibus ,  
Plusquam Quirites Romuli .  
Exerta mammae, inter arcta brachia  
Vlmo maritâ strictiùs ,  
Per quinque brumas pectori admôras pio ,  
Sæuâ fugante patriâ .  
Cum lacte, fidei candor, & mores probi ,  
Amorquē suctus artium .  
Elementa visus tradere accurrens Aā ,  
Leni fluento garrulus .  
His me decorum plurimæ primordijs  
Vidêre post gentes virum :

Prin-

Principibus altis ire miratae parem,  
Magno sub astra nomine.  
Quid, quod supremis Chisiorum montibus  
Afflare lucem credimus?  
Ambiuit ergo Roma doctorem suum,  
Phœbi potentem & Mercuri;  
Ambiuit almæ porticus Sapientiæ  
Mercede inauditâ prius.  
Nec liuor indè rodit ullus aduenam,  
Omnesquè cùm plausu colunt.  
O dìa Siren, clara virtutis comes,  
Et vos duces, Loiolidae!  
O efficax vis sapere Bœotos quoquè,  
Vbi allaborandum est simûl?  
Utique gratus muneri acceptum fero;  
Si liçeat, & soluam vices.  
Quod Latia pubes extero assurgit mihi,  
Suumquè sermonem refert:  
Quod & leporis volito notus Artici,  
Vestrum est, & æternum deçus.

### A D T H E M I N I N A E D E S A P I E N T I A E .

Theses legales memorat fuisse à Io: Angelo, Ducis Al-  
taempſij filio, & Alexandri P. M. Cubiculario se-  
creto, per doct̄e in Aula maxima Sapientiæ propugna-  
tas, cum magnificissimo ipsiusmet Pontificis, cui  
dicauerat easdem, apparatu.

### O D E II.

P lacata tandem deuolat cœlo Themis,  
Terramquè rursùs incolit.  
Quinimò Alexandro beata principe  
Offendit in terris polum.  
Nam quæ supernas res duæ illustrant plagas,  
Adoreca & Sapientia,

Vrram-